



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ephemeris Ecclesiastica Concionatorvm Hoc Est Considerationes Methodicæ Sev Veritates Practicæ

Ex Vita Domini Jesu, Sanctorumque Gestis In Singulos anni dies mira
facilitate & solertia distributæ ... ; Cum indicibus necessariis

Pars Verna - A Dominica Septuagesimæ, ad Dominicam SS. Trinitatis

Haineuve, Julien

Coloniæ Agrippinæ, 1665

Ad Evangelium Feriæ. De Maria Magdalena quærente Dominum in
sepulchro.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44214

Bos seu Vitulus & Aquila, ut velocitatem aquilæ bos temperet, & tarditatem bovis aquila concitet. Volubiles denique rotæ sunt oculatæ & plenæ spiritu vitæ, sicque procedunt vel subsistunt ad motum quo moventur. Qui se aliter movet, & agit, *velut si quis se jinet ad laqueum, & nescit quod de peri-*

Prov. 7.

culo anima illius agitur. Expende verba, *Periculum anima, Periculum beatitudinis, periculum eternitatis.*

Ad Evangelium Feria, de Maria Magdalena quaerente Dominum in sepulchro. Joan. 20. Vide Feriam 3. hebdomadæ 1. post Pascha.

FERIA SEXTA.

DE CLARITATE GLORIOSI CORPORIS Christi Domini, Et anima nostra cum eo resurgentis.

Seminatur in ignobilitate, surget in Gloria, 1. Cor. 15.

VERITAS PRACTICA.

In Tenebris Claritas.

Sensus & Ratio est, quod claritas, qua à Christo nobis communicatur, præsupponit multos & insignes fidei actus atque abnegationis proprii iudicii.

Sed illi actus fidei, & abnegationis sunt tenebra. Ergo in tenebris claritas, quæ non modo sibi, sed & aliis lucent viri spirituales & perfecti.

I. PUNCTUM.

AD alias corporis gloriosi dotes accedit claritas, de qua speciatim Apostolus: *Alia claritas solis, alia claritas lune, & alia claritas stellarum. Stella enim à stella differt in claritate, sic & resurrectio mortuorum.* Non est autem dubium quin Christus Dominus velut sol & longè supra solem claruerit, cum in ipsa sua transfiguratione talem se spectandum dederit Discipulis suis, simulque cum eo visi sint Moyles & Elias in maiestate seu claritate. Et quidem sic ab ipsa nativitate semper splendere poterat, nisi splendorem illum continuisset, ut corpus suum redderet passibile & mortale; post mortem vero ac Resurrectionem ratio quidem, quod sciatur, hominibus gloriosus & resplendens apparuit, sed Angelis ac beatis illis animabus, quas secum comites & socias semper habebat, non nisi in hoc gloriosissimo & splendidissimo

1. Cor. 15.

Luc. 9.

statu videbatur.

O quam tum verè speciosus forma præ filiis hominum! *QUAM gloriosus juste hodie Rex Israel! Quam dulcis vox tua: & facies tua quam decora, dilectissimi Jesu! ò quando te in ea videbo gloria, quando illud fieri quod orasti patrem: Pater, quos dedisti mihi, volo ut ubi sum ego, & illi sint mecum, ut videant claritatem meam quam dedisti mihi!*

Pf. 44.
2. Reg. 6.
Cant. 2.

Interea verò sicut se hic nobis communicat, ita & claritatem suam, quantum in hac mortalitate capaces sumus, non quidem corporibus nostris, sed animis, & illis præsertim qui configurati morti ejus, hoc modo occurrunt ad resurrectionem, qua est ex mortuis, ut loquitur Apostolus. Verum, quod multa eget consideratione; Non nisi in tenebris est illa claritas. Cum enim sit donum Dei eximium, præsupponit multos & insignes fidei atque abnegati iudicii actus. Sic inter alios passim, & fuse S. Augustinus: *Præquam mens nostra purgetur, debemus credere, quod intelligere nondum valeamus, quoniam verissime à Deo est per Prophetam: NISI CREDIDERITIS NON INTELLIGETIS.* Itemque alibi: *Dicis, quomodo creditur si non capitur: imò ideo bene creditur, quia non cito capitur: nam si cito caperetur non opus erat ut crederetur: sed credendo fit idoneus ut capias, nam si non credideris, nunquam capies, quia minus idoneus remanebis. Et rursum: Tanto qui que facinus aliqui proferendo cognoscit, quanto religiosius antequam*

Joan. 17.

Phil. 3.

1. de agn. Chr.

Tract. in loan.

cognoscere